

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Vorwort

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

REGII CONSISTORII
ECCLESIASTICI,
Quod sedet HANNOVERÆ,
Reverendisimo DIRECTORI,
Summè Reverendis, Magnificis,
CONSILIARIIS reliquis,
Hanc
PROVERBIORUM META-
PHRASIN,

usque adhuc per quadraginta annos
dicans;
unà cum annexâ ECCLESIASTÆ metaphrasi,
atque additis SACRIS anniverfariis,
omniq̃ue suo studio
& precum apud DEUM & officiorum,
autor dedicat.



Enerabili Collegio Vestro reddendum vel tandem est, quod debeo. Jam enim tot anni effluxêre, postquam, in primâ juventute meâ, (desiderans, vitæ cursum instituere haud perperam) industriæ partem in meditandis *Salomonis Adagiis* ita posui, ut, fir-

mioris fructûs capiendi ergo, versibus illa *Epicis* explicare contenderem. Atque, ut dicam, quod res est, inde ab instituti hujus initio, ipsoque à *Jubilæo* Academiae JULIAE, quod celebrabamus a. 1676., animus in me hæsit, fortasse non vituperandus; si DEI gratiâ absolverem laborem isthunc, & in lucem proferrem publicam, Patriæ Hannoveranæ Consistorio Ecclesiastico eum consecrare. Ut verò juvenum destinata sufflaminantur facillimè: postea, tam studiorum Theologicorum varietas, quæ tum maximè ardorem urgebat meum, quàm deinceps negotia publicarum, volente sic Deo, functionum, partim *Academica*, partim *Ecclesiastica*, (in quæ mox *Holsatia*, *Franconia*, *Thuringia*, & *superior Saxonia*, ætatem floridam pertraxerunt) licet nunquam me prorsus avulserint à proposito, saltem prohibuere diutiùs, quò minùs operi maturam manum atque ultimam imponere potuerim. Enimverò abfuit tantum, ut interea intercideret desiderium prosequendi, quod cœperam, ut potiùs quotidianus agendorum usus, non modò subinde juvaretur Salomonis dictorum memoriâ; sed juberet quoque, sententiam, quæ commodum attulisset, quamlibet, perinde ac grati animi causâ, Poësi exprimere. Crescente igitur ex his Proverbiis *Canonicis* emolumento, simul insidens mihi accrevit amor, singula contexendi carmine Latino generosiore: quoad hujus indolem genus docendi *proverbiale* admittit. Quoniam autem, monente Poëtâ,

Vita

Vita summa brevis spem nos vetat inchoare longam:
à Divinâ indulgentia impetravi denique, ut Metaphrasin
ab ovo recensuerim, suppleverim ex apparatu olim con-
gesto, limâque necessariâ sim persecutus, senio subrepente.
Quocircâ nunc, annum agens sexagesimum, haud temerè
usurpare hac de re videor, quod AUGUSTINUS in libros de
Trinitate scribit ad Aurelium, Carthaginensem Episco-
pum: JUVENIS, INCHOAVI; SENEX, EDIDI.

In elaborando, ad mentem enucleandam veram ple-
namque, adhibui cum Hebraico *Fonte*, ac *Versionibus*, ex
Commentatoribus præcipuè Martinum GEIERUM: qui, &
jucundus acceptusque extitit, vel propterea, quòd disci-
pulus atque auditor genuinus fuit Martini TROSTII Witte-
bergenfis, mihi è Majoribus meis charissimi; cujus, Præce-
ptoris sui, ipse B. GEIERUS gratisimam sæpe injicit mentio-
nem; & antiquis sine dubio præferendus omnibus est. Nam
Exegetæ is partes in hunc librum Biblicum exhaurit tanto-
pere, ut pondere judicii (secundum exploratas rationes *Pa-
trum*; item *Aben-Esra*, *Cornelii à Lapide*, *Merceri*, mul-
toque plurium: & maximè, ut testantur *Prolegomena in
Ecclesiasten*, ex inductione Locorum Scripturæ, Fidei, &
Textuum analogiâ, Canonibus Hermeneuticis, ac rerum
substratarum indole, admirandis perspectâ undiquaque
modis) ubique admoto, nihil optandum ferè sit exquisitius,
nihil circumspectius: præsertim quum nusquam plenius,
X 3 quàm

quàm in Proverbiis, videatur præstitisse, quod observat in Ecclesiast. XII, 9. *a Sapientibus exploranda minutissima quæque, ad cognitionem Veri & Boni facientia: attendenda sunt causa, circumstantia, requisita. &c.* Quanquam ego nihilominus, in aliquibus locis, cogitationes Sebastiani SCHMIDII, tanquam posteriores, haud prætermisi. Cæterum, etsi non potuit fieri, quin mihi etiam, in recognitione sollicitâ, de *sensu* atque *usu* nascerentur annotationes sub manu: eas tamen adjicere fusiùs *Metaphrasi*, præterquam quòd ipsa, in *Argumento Caputum*, ac *Parallelismo*, Patrumque *testimoniis*, continet plerasque; minimè vacat. Neutiquam enim decuit, immemorem me Salomonis, & optimi interpretis, Geieri esse: cùm ille Proverb. XXV, 16. præcipit, *comedendum mel*, quatenus hoc cuius conveniat; & hic quidem, ad officia publica & privata id scitè accommodans: *Si quis, inquit, totus sit in linguarum, vel historiarum, vel metaphysicarum logicarumq; subtilitatum* (aliarumve commentationum, non tam necessariarum, quàm utilium) *studio; quid, quaeso, commodi capient interea Ecclesia, Respublica, Oeconomia?* si quis videlicet gravioribus harum occupationibus religiose mancipatus fuerit.

Accessit interim ejusdem Salomonis ECCLESIASTES, modo eodem tractatus. Quem libellum, persuadentem mirificè, quàm vana in his terris omnia, instar *pedagogi* invadere Proverbiis, nemo non videt: totus enim is sapientiæ
Ada-

Adagiorum, apud animos admittendæ, conciliat locum; desinens in timore DEI, à quo illa incipiunt. neque alia fuit potior causa, ob quam GEIERUS ipse commentatus est prius in Ecclesiasten, incipiens sic à profligandâ opinionum vanitate; nisi, ut deinde, ad veritatem Proverbiorum eruendam, eò expeditiùs accingeretur.

Utrique opusculo subjunxi SACRA CARMINA: quorum sex priora proposita quondam publicè in *Festis* annuis. nec fortè immeritò & ista annectuntur. Salomonis tantæ querelæ, super *vanitate*, ex abusu rerum oriundâ; *apophthegmata*, circa excolendam sapientiam, bonumque summum quærendum; monita de disciplinâ, (*musar*) tanquam uno remedio humanæ corruptionis: hæc certè sunt prævia simulacra eorum, quæ Christianorum solennibus accepta referuntur CHRISTO, *victori* vanitatis, seu *mundi hujus*, (Joh. XVI, 33.) gratiæ ac veritatis plenissimo; utpote qui *paræmiis* suis patefecit omne DEI consilium de regno cælorum, & tanquam *Salomo* noster unicus, necessariâ ad pacem *disciplina* (Es. LIII, 5.) pro nobis exantlatâ, æternæ vindictæ satisfecit, peperitque, Divino suo merito, quicquid reparandum erat. Ipsi DOMINO atque DEO nostro, siquidem major Salomone infinitis est gradibus, soli esto universa gloria!

Quod superest, Vos, Collegii Regii Consistorialis venerandum Caput, & Membra ejusdem veneranda, decenter

center rogo equidem; velitis æqui boniq; consulere affectum, quo, quod Sacro Senatui Vestro destinatum mansit tam diu, nunc demum, unà cum adjunctis, exsolvere non dubitavi. Neque enim deposui, fateor, amorem patriæ: ubi Parens meus, Superintendentis Hohnstætensis, & paternus Avus, Superintendentis Dransfeldensis, unde translata Mundam Ephoria, munia gesserunt per DEI gratiam; nec non Avi materni, *Tornarius, Groscurtus, Jovius & Trostii*, pariter Mundensis Diæceseos, totius Provinciæ Goettingensis, Viciniæq; Visurginæ, Ecclesiis ac Scholis præfuerunt, à Reformationis Evangelicæ temporibus. DEUM immortalem precor omni ex animo: Benedicat AUGUSTISSIMO PATRIÆ PATRI, atque Ejus Domui & Regimini, tum *Regali* in Magnâ Britannia, tum *Electoral* in Terris Germanicis! Benedicat & Vobis, Vestrisque sub curis *Ecclesiæ*; ut hæc, veluti *matrona* illa, Prov. XXXI, 10. &c. plena virtutis ac beatitudinis sit mater; surgantq; filii, & beatam prædicent; surgensq; maritus Ipse, CHRISTUS, laudet eam in die novissimo! Scribebam in Cœnobio Bergenfi, quod Magdeburgi est, anno 1717. (*qui est Ecclesiarum, Augustanæ Confessioni addictarum, Jubilæus felicissimus & exoptatissimus*: tam faustis enim verbis, quibus sub initium seculi exacti Ecclesiastici B. GERHARDUS finiit *Harmonia Evangelistarum Chemnitiana Tom. III. Part. IV. dedicationem*, eò certius læto cum omine utor iterum, quò jam propius à militiæ fine abest secundus hic *secularis annus*) mense Martio ineunte.